



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sancti Epiphanii Episcopi Constantiæ Cypri, Opera Quæ  
Extant Omnia**

**Epiphanius <Constantiensis>**

**Coloniæ Aggripinæ, Anno M.DC.XVII.**

Epistola Rescripta Ad Acativm Et Pavlvvm Presbyteros, Ab Epiphanio, ad ea  
quæ ab illis ipsum scripta sunt, de eo quod ipse contra hæreses scripserit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80258)



EPISTOLA SCRIPTA NONAGESIMO SECVNDO ANNO REGNI DIOCLETIANI, VALENTINIANI & Valenti, anno duodecimo, & Gratiani anno octauo, ad Epiphanium Palaestinū Eleutheropoliten, qui fuit Pater Monasterij in eiusdem Eleutheropolis vicinia, tunc vero vrbis Constantiæ prouincię Cypri episcopus extitit, ab Acatio & Paulo presbyteris & archimandritis, hoc est, patribus monasteriorum partium Chalcedonis, & Berrhœæ cauæ Syriæ, de eo quod contra omnes hæreses scripsit, imo quod & multi adhortati sint ac coegerint ipsum ad hoc Opus aggrediendum.

**D**OMINO meo & reuerendissimo per omnia, pientissimoque patri Epiphanio episcopo, Acatii presbyter, & Paulus presbyter, archimandrita, in Domino gaudium. Sufficiebat equidem conspectus pietatis tue Pater, qui verbis spiritualibus nos impleuit, & tantum in nos desiderium implantauit, ex tuo intuitu obortum. Verum quandoquidem præuia fama discipuli Seruatoris prædicat, & fragrantie verborum & actionum appetentiam infundit, ut & verbis & sententiis exartemur: oportebat quidem nos accedere, ut presentis gratia, tibi ex Deo velut Apostolis data, participes fieremus. At quando via intercepta est per infirmitates ac arumnas corporales, non potuimus ipsi proficisci, & ad pedes tuos prouolui, audire q, ac discere progredientia ex ore tuo spiritualia sancta verba. Credimus enim, quod si digni fuisset audire ac reuerti, firmassetis utique Rempublicam, cui præficti sumus, si modo digni sumus finem eius assequi. Quum igitur infirmitas detineat, rogamus tantam tuam pietatem, ut ne inuideas nobis ex his quæ reuera tibi à Seruatore donata sunt impertiri. Confitemur enim, non solum nos, sed etiam omnes, quod in hoc seculo nouum te Apostolum & præconem Dominus excitauit, Ioannem nouum, & prædicantem qua debent seruari ab his qui cursum hunc propositum habent. Quum igitur communis frater Marcellus ob tantam famam angatur, & desiderio pietatis tue trahatur, sitque ex nostro ouili, & recens in fide instructus: ipsum sane tantæ viæ ministrum adepti, tantam nostram, peccatorum videlicet, ad te Seruatoris discipulum, audaciam ipsi iniunximus. Quod vero cupimus, hoc est, ut ea quæ dicta sunt à te ad quosdam fratres, nobis discenda dones: quod tibi quidem iusto minime graue est: nobis autem peccatoribus, dum participes sumus, gaudium in Domino parit. Nam spiritualibus tuis verbis impleti, ab iniquitatibus nostris alienamur. Audiuimus autem indita esse nomina sęctis à præstantia tua, quarum singularum superstitionum, petimus, ut pietas tua nobis hæresim palam declaret. Aequale est enim vniuersorum donum. Et petimus te preces facere, te iustum Domino, pro omnibus desiderantibus te & expectantibus à te donum. In ieiunio & oratione sumus, ut communis noster frater à præstantia tua benigne susceptus, & afferat nobis donatum à te munus, & sic consuetas preces patri & filio & spiritui sancto transmittat. Omnes fratres sperant per preces à te pro ipsis scientes confirmari. Adhortamur, ut ne cuncteris impertiri gratiam diuinam Apostolorum, quam habes. Omnes parui in oculis ac cæti, preces ad potiozem transmittunt, quo participes fiant spiritualis ex pietate tua doni. Robustus in Domino, & letus in Christo ac sancto spiritu, datum tibi thronum ac diuinum munus perficias & absoluas, usque ad expectantem te coronam.

EPISTOLA RESCRIPTA AD

ACATIUM ET PAVLVM PRESBYTEROS, AB Epiphanio, ad ea quæ ab illis ad ipsum scripta sunt, de eo quod ipse contra hæreses scripsit.

**D**OMINIS honorandissimis fratribus, & in presbyterio consortibus, Acatio & Paulo, Epiphanius in Domino gaudium. Proœmium, siue præfationem veteres scriptores, velut inscriptionem ac titulum describentes, per anigma totius subiectæ tractationis indicium præbuerunt: vnde & ipsi eodem dicendi stylo vsi, præfamur ad vos charissimi, ea quæ ad petitionem vestram contra hæreses scripsimus, omnem rem in breuem summam colligentes. Quandoquidem enim declaraturi sumus vobis & nomina sęctarum, & nefarias apud ipsos actiones reuelaturi, quæ velut venena ac toxica existunt,

cum

RIANI  
PHANI

cum ipsis sane etiam antidotos adaptantes, auxiliaria commorforum medicamenta, & preoccupatiua eorum qui forte illapsuri sint, bonarum rerum studiosis describimus, hoc ipsum procerium Panarium, siue Capsulam medicam, & aduersus bestiarum morsus Arculam appellantes: hoc est, per libros tres, hæreses octoginta, quæ sunt bestiarum siue reptilium morsus. Vnum autem post octoginta veritatis fundamentum, simulque doctrina, & salutaris tractatio, & Christi sponsa sancta Ecclesia, existens quidem ab initio, verum per aduentum Christi in carne, iuxta temporis successiõnem, in medio prædictarum reuelata, & à nobis in mentione per prædicationem Christi locata, & rursus post omnes harum hæresum prauitates, in refrigerium eorum qui laborem pellegendi hæreses pertulerunt, à nobis cum sermonis compendio, iuxta Apostolorum doctrinam, manifeste denunciata. Rogati autem sitis omnes, qui hoc honestarum rerum studium attigeritis, & procerium, & sequentes deinde sectas, & pro veritate defensionem, & veritatis doctrinam, & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ fidem: vt veniant nobis detis qui homines sumus, & cum labore ac emulatione diuina, pro pietate rationem reddere conati sumus. Cuius sanctissimi ac pientissimi nominis defendendi gratia, velimus etiam aliquid vires nostras excedens aggredi, quum Deus permittat nobis expetentibus, etiam ea quæ vires superant. Nam ob veritatem instituta à nobis est hæc oratio, & propter pietatem hoc opus aggressi sumus. Quin & amplius rogati sitis pro indulgenda venia, si alicubi reperieritis nos, aliquos imperere, aut cauillis incescere, quum alias hunc morem non habeamus. Itaq; si alicubi propter zelum aduersus hæreses, & ad auertendos lectores, exacerbati dixerimus aliquos deceptores, aut circulatores, aut miseros homines, ignoscite. Ipsa enim necessitas aduersus huius certaminis doctrinas instans, talem nobis sudorem efficit, & vt lectores auertantur: & vt ostendam penitus interdictas à nostra doctrina illorum operas, mysteriaque & doctrinas, quo etiam per orationis ac contradictionis nostræ vehementiam, libertatem nostram ostendamus, & quo etiam aliquos ex ipsis per grauiores putatos sermones effugiamus. Est autem tota hæc tractatio per prædictos tres libros, primum, secundum, & tertium. Quos sane libros in septem tomos diuisimus. In vnoquoq; autem tomo numerus quidam hæresum ac sectarum inest. Sunt autem ex toto octoginta, quarum nomina & prætextus sunt. i. Barbarismus. ii. Scythismus. iii. Græcismus. iiii. Iudaismus. v. Samaritismus. Ex his ortæ sunt quæ deinceps sequuntur, ante Christum quidem post Barbarismum, & Scythicam superstitionem, ex Græcismo hæreses. vi. Pythagoræ siue Peripatetici, circa Aristotelicos diuisa. vii. Platonici. viii. Stoici. ix. Epicurei. Deinde Samariticæ sectæ ex Iudaismo ortæ quatuor sunt gentes: x. Gortheni. xi. Sebuai. xii. Efleni. xiii. Dosithei. Deinde idem prædictus Iudaismus, qui ab Abrahamo formam accepit, & per datam Iosif legem amplius est, & à Iudafilio Iacob, qui etiam Israel appellatur, per Dauidem regem ex eius tribu primum, Iudaismi cognomen adeptus est, septem sectas habet: xiiii. Scribarum. xv. Pharisaeorum. xvi. Sadducæorum. xvii. Hemerobaptistarum. xviii. Ossæorum. xix. Nazæorum. xx. Herodianorum. Ex his & post has hæreses iuxta temporum successiõnem, apparuit salutaris Christi Domini nostri in carnem aduentus, & Euangelica doctrina ac prædicatio regni, quæ sola fons est salutis, & fides veritatis catholicæ & Apostolicæ ac orthodoxæ Ecclesiæ. Ex hac autem diffractæ ac fissæ sunt, nomen solum Christi habentes, & non item fidem, hæc hæreses: i. Simoniani. ii. Menandriani. iii. Saturniani. iiii. Basilidiani. v. Nicolaitæ. vi. Gnostici, qui etiam Straticotici, & Phibionitæ, & apud aliquos Secundiani, apud alios Socratitæ, apud alios Zacchæi, apud quosdam Coddiani appellati, & Borboritæ, & Barbelitæ. vii. Carpocratitæ. viii. Cerinthiani, qui & Merinthiani. ix. Nazoræi. x. Ebionæi. xi. Valentini. xii. Secundiani, quibus additur Epiphanes & Isidorus. xiii. Ptolemæi. xiiii. Marcossij. xv. Colorbasij. xvi. Heracleonitæ. xvii. Ophitæ. xviii. Caiani. xix. Sethiani. xx. Archontici. xxi. Cerdoniani. xxii. Marciones. xxiii. Lucianistæ. xxiiii. Apelliani. xxv. Seueriani. xxvi. Tatiani. xxvii. Encratitæ. xxviii. Phrygastæ, & Montanistæ, & Tascodrugitæ. Hi autem rursus, Tascodrugitæ videlicet, in seipsos diuisi sunt. xxix. Pepuziani, qui etiam Priscilliani & Quintiliani. Quibus annexuntur Artotyritæ. xxx. Tescæscædecacitæ, qui pascha vnam anni diem faciunt. xxxi. Alogi, qui Euangelium & Apocalypsim Ioannis non admittunt. xxxii. Adamiani. xxxiii. Sampsaï, qui & Elcesæi. xxxiiii. Theodotiani. xxxv. Melchisedeciani. xxxvi. Bardesianistæ. xxxvii. Noëtiani. xxxviii. Valesij. xxxix. Cathari, qui & Nouati. xl. Angelici. xli. Apostolici, qui & Apotactici. xlii. Sabelliani. xliiii. Origenæi, turpia facientes. xliiii. Origenæi, ab Origene eo qui etiam Adamantius appellatur. xlv. Pauli Samosatensis hæresis. xlvi. Manichæi, qui & Acuanitæ. xlvii. Hieracitæ. xlviii. Meletiani, qui in Ægypto sectam habent. xlix. Ariani, qui & Axiomanitæ. l. Audianorum secta. li. Photiniani. lii. Marcelliani. liii. Semiarij. liiii. Pneumatomachi, qui & Macedoniani, & Eleusi discipuli, qui sanctum Dei spiritum blasphemant. lv. Ariani. lvi. Aëtiani, qui & Anomœi: quibus coniungitur Eunomius, imò potius Anomœus. lvii. Dimeritæ, qui non perfectam Christi incarnationem confitentur, qui etiam Apollinaritæ. lviii. Qui sanctam Mariam semper virginem postquam Saluatorem genuit, ipsi Ioseph coniunctam fuisse dicunt, quos sane appellauimus Antidicomarianitas. lix. Qui in nomen ipsius Mariæ collyridem offerunt, & vocantur Collyridiani. lx. Massaliani, quibus coniunguntur Martyriani, qui à Græcis sunt: & Euphemitæ, & Sataniani. Porrò facta rursus repetitione ac diuisione harum sectarum iuxta libros, ostendam in hac mea repetitione, quot ex his octoginta sectis in primo, & deinceps in secundo, vsque ad tertium sint librum. Imò etiam quot sint hæreses in singulis septem tomis, in quos tres libri digesti sunt, comprehensæ. Habet autem res se hoc modo. In primo libro tomi tres sunt, hæreses autem quadraginta sex, cum appellationibus suis, Barba-

Operis di-  
uinctio.

rismi

rismi videlicet, & Scythismi, & Gracismi, & Iudaismi, & Samaritismi. In secundo verò libro tomi duo sunt, & hæreses viginti tres. In tertio libro tomi duo, hæreses vndeim. In primo igitur libro eorum differentia, Pythagoræ, siue Peripatetici, Platonici, Stoici, Epicuræ: Samaritica, quæ ex Iudaismo est. Samaritarum gentes quatuor: nempe Gortheni, Sebuæi, Esseni, Dosithei. Iudaorum hæreses septem, Scribæ, Pharisei, Sadducei, Hemerobaptistæ, Ossæi, Nasaræi, Herodianæ. In secundo verò tomo primi libri hæreses tredecim sunt, Simoniani, Menandriani, Saturnitiani, Basilidiani, Nicolaitæ, Gnostici, qui & Stratiotici, ijdemque Phibionitæ, & apud aliquos Secundiani, apud alios Zachæi appellati, itemque Coddiani, & Borboritæ, & Barbelitæ: Carpocratitæ, Cerinthiani, qui & Merinthiani, Nazoræi, Ebionæi, Valentini, Secundiani, quibus connectuntur Epiphanes & Isidorus, Prolomæi. In tertio autem tomo eiusdem primi libri hæreses item tredecim sunt, Marcossij, Colorbasij, Heracleonitæ, Ophitæ, Caiani, Sethiani, Archontici, Cerdoniani, Marciones, Lucianistæ, Apelleiani, Seueriani, Tatiani. Hæc est summaria repetitio trium tomorum primi libri. Secundi verò libri tomi duo sunt: & in primo quidem secundi libri tomo, qui quartus est iuxta numeri ab initio consequentiam, hæreses decem & octo habentur, hoc modo: Encratitæ, Phrygastæ, qui & Montanistæ, & Tascodrugitæ. Tascodrugitæ autem rursus diuisi sunt à prædictis, Pepuziani, qui & Quintiliani: quibus coniunguntur Artotyritæ Tessaresdecimatæ, qui pascha vnam anni diem faciunt: Alogi, qui Evangelium Ioannis & Apocalypsim non suscipiunt: Adamiani, Sampsæi, qui & Helcesæi: Theodoriani, Melchisedeciani, Bardesianistæ, Noëtiani, Vallesij, Carhari, Angelici, Apostolici, qui etiam Apotactici: quibus coniunguntur, qui appellantur Sacciferi, Sabelliani, Origeniani, turpia facientes, Origeniani, ab Origene Adamantio. In secundo autem tomo eiusdem secundi libri, quinto verò iuxta prædictum numerum, hæreses quinque sunt, Paulianistæ, Manichæi, qui & Acuanitæ, Hieracitæ, Meletiani secta in Ægypto, Ariani. Atque hæc est tomorum secundi libri summaria repetitio. Similiter autem & in tertio libro sunt tomi duo. Et in primo quidem tertij libri tomo, sexto autem iuxta prædictum numerum, hæreses septem sunt: Audiani, Photiniani, Marcelliani, Semiarij, Pneumatomachi, qui spiritum Dei sanctum blasphemant, Aciriani, Etiani ab Ætio, qui dissimilitudinem personarum in sancta Trinitate inuenit: cui coniunctus est Eunomius, qui Anomœus appellandus potius fuit. In secundo vero tomo eiusdem tertij libri, septimo verò iuxta tomorum numeri diuisionem, & vltimo totius operis, hæreses quatuor habentur: Dimeritæ, qui non perfectam Christi incarnationem confitentur, qui etiam Apollinaritæ: & qui sanctam Mariam semper virginem, postquam Saluatorem genuit, ipsi Ioseph copulatam fuisse dicunt, quos vocauimus Antidicomarianitas: & qui in nomen ipsius Mariæ collyridem offerunt, qui sane vocantur Collyridiani, Massaliani. Et de reâ ac vera fide Apologia, cum compendio doctrinæ, quæ sic sancta catholica & Apostolica Ecclesia. Hæc est summaria repetitio ac inscriptio, siue enumeratio, totius contra octuaginta hæreses Operis, & vnus pro veritate Apologia, sola illa, hoc est catholica & orthodoxa Ecclesia, in tres libros digesta, ac septem tomos diuisa. Addam porro & primi tomi primi libri contra viginti hæreses summarium indicem ac elenchum. Primum quidem habentur omnium sectarum matres, ac exemplaria & appellationes, ex quibus matribus omnes alia: orta: sunt, & sunt hæ primæ quatuor. Prima Barbarismus, quæ per seipsam est, & durauit à diebus Adam in decem generationes, vsque ad Noe. Appellatus est autem Barbarismus, ex eo quod eius temporis homines non habuerint principem quandam, aut vnam concordiam, sed quod vnusquisque pro sua ratione procedebat, & sibi ipsi lex iuxta propriam voluntatis prerogatiuam fiebat. Secunda Scythismus, à diebus Noe, & postea vsque ad turrem Babylonis ædificationem: & post turrem tempus, ad paucos annos, ipsius Phalec & Rhagau, qui ad Europæ declinantes regionem, Scythiæ parti & ipsorum gentibus adiudicati sunt, à Tharra ætate & vterius, ex quo Thracæ nati sunt. Tertia Gracismus, à temporibus Seruch, exorsus per idololatriam. Et sicut vnusquisque tunc procedebat secundum aliquam superstitionem, ad ciuiliorem vitam, moresque ac statuta, ita tamen vt simulachra tunc cœperint poni, hominum genera, quæ tunc sequebantur ac deificabant, per colores quidem ab initio depingentes: ac representantes eos qui olim apud ipsos in honore fuerunt, aut tyrannos, aut præstigiatores, aut qui aliquid fecerunt in vita memorabile, per fortitudinem, aut corporum robur. Deinde verò à temporibus Tharra patris Abraham, etiam per statuas idololatriæ errore inducto, primos suos parentes per effigies colentes, & eos, qui ante ipsos vita functi erant, fabricantes, ex singulari primum arte: deinde quum singulæ artes ad imitationem excitarentur, ædificatores quidem lapidem ad hoc cædentes ac exsculpenes, argētarij vero & aurifusores per propriam artis suæ materiam effingentes. Ita etiam fabri lignarij, ac reliqui. Ægyptij verò, simulque Babylonij, & Phryges ac Phœnices, huius superstitionis primi autores fuerunt, tum statuarum, tum mysteriorum, à quibus plurima ad Græcos translata sunt, ab ætate Cecropis, & deinceps. Deinde autem & Ioge postea, Saturni & Rheam, Iouemque & Apollinem, & alios deos declararunt. Græci vero appellati sunt Hellenes, ab Hellene quodam viro, qui in Gracis habitauit, aut, vt alij tradunt, ab elæa, hoc est olea, quæ Athenis enata est. Iones autem horum principes fuerunt, velut rei sinceritas habet, ab loue vno quodam viro ex his qui turrem ædificauerunt, quando linguæ omnium diuisæ sunt. Ob quam causam etiam Meropes omnes appellati sunt, propter paritatem vocæ. Postea verò Gracismus in sectas redactus est posterioribus temporibus, Pythagoreorū videlicet & Stoicorū, Platoniorumque, & Epicuræorum, ac reliquorum. Diuini porro cultus forma simul fuit, & naturæ lex in vitam inducta, separans seipsam ab his gentibus, à iactis mundi fundamentis vsque huc, media existens inter Barbarismū, Scythismum, ac Gracismū: donec coniuncta est diuino ipsius Abraham cultui: & postea factus est Iudaismus, à temporibus Abraham formam adeptus, & per Mosem septimū ab Abraham, per legem datam ipsi à Deo dilatatus, à Iuda verò quarto filio ipsius Iacob, qui etiā Israel appellatus fuit, per Dauidē, qui primus ex eiusdē tribu regnauit, perfectum

Iudaismi

Barbarismi appellatio.

Thracum origo.

Idolorum cultus origo.

Hellenes, unde dicti sunt Græci.

Meropum appellatio.

RIANI  
PHAN

Pythagore  
dogmata.Platonico-  
rum dog-  
mata.Stoicorum  
placita.Epicureo-  
rum placi-  
ta.Samarita-  
rum scilicet.Iudaeorum  
haereses.Dalmati-  
ca  
Phylacte-  
ria.

Juda sibi nomen sortitus. De his enim quatuor sanctis Apostolus compendio dixit: In Christo enim Iesu non Barbarus, non Scythia, non Graecus, non Iudaeus, sed noua creatio. Graecorum differentia sunt: Pythagorae, siue Peripatetici, unitatem & prouidentiam, & prohibere sacrificare dijs, Pythagoras docuit: item animata non in cibum assumere, & à vino abstinere. Decreuit autem simul, quae à luna & quae supra lunam sunt, immortalia esse: quae uero infra, mortalia. Et transire animas à corporibus ad corpora, usque ad animalia & bestias omnis generis. Simul autem & silentium exercere ad quinque annorum tempus. Postremum uero, seipsum Deum nominauit. Platonici, Deum & materiam ac formam prodiderunt, & mundum factum ac corruptibilem esse. Animam uero ingenitam, & immortalem, ac diuinam. Esse autem partes eius tres, Rationalem, impetuofam, & cupiditate praeditam. Uxoribus uero omnibus communes esse, & nullam unam propriam habere debere, sed unumquemque cum qua uelit, illa item uolente coire. Transire item animarum in diuersa corpora omnis generis animantium. Simul autem & deos ex uno multos docuit Plato. Stoici uniuersum esse corpus docuerunt, & sensibilem hunc mundum Deum putauerunt. Quidam uero ex ignis essentia naturam ipsum habere pronunciauerunt. Et Deum quidem mentem decernunt, & uelut animam totius amplitudinis caeli & terrae. Corpus autem eius esse uniuersum, uelut dixi, luminaria uero oculos. Carnem uero omnium perire, animam autem omnium à corporibus ad corpora transire. Epicurei, atomos & indiuisibilia corpora, simulariaque & infinita, uniuersorum principium esse statuerunt & finem felicitatis esse uoluptatem docuerunt: & neque Deum, neque prouidentiam, res gubernare. Samaritanus, & ab ipso appellati Samaritae, hic est ex Iudaismo, antea quam deuenirent haereses ad Graecos, & antea quam constituerentur ipsorum dogmata. Postquam uero esse coepit Graecorum superstitio, medium eius ac Iudaismi obtinuit. Originem autem accepit à temporibus Nabuchodonosor, & captiuitate Iudaeorum. Ipsi Samaritae inquilini sunt ab Assyrijs in Iudaea, & receperunt solum quinque libros Moysi, quum rex iussisset ipsos à Babylone per sacerdotem Esdram appellatum. Omnia Iudaeorum habent, praeterquam abominari gentes, & neque attingere aliqua: & praeterquam quod negant mortuorum resurrectionem, & auerfantur alias prophetias post Moysen. Samaritarum gentes quatuor sunt: Gortheni, qui alijs temporibus festiuitates agunt quam Sebuai: Sebuai, qui propter eandem causam in festis celebrandis à Gorthenis dissentiunt: Esseni, qui neutris aduersantur, sed cum quibuslibet indiscriminatim festa celebrant: Dosithei, in ipsa dem gentibus uelut Samaritae uitam degunt, circumcisione & sabbato atque alijs. Utuntur & quinque libris Moysi: amplius autem quam alij seruant abstinentiam ab animatis, & frequentius in ieiunijs uiuunt. Quidam ipsorum etiam uirginitatem seruant, alii continenter agunt, creduntque mortuorum resurrectionem, quod alienum est à Samaritis. Iudaeorum haereses septem sunt: Scribae, qui legales fuerunt, & expositores traditionum apud ipsos antiquarum, per superfluam superstitionem, consuetudines seruantes quas non ex lege didicerunt, uerum sibi ipsis praescribentes simulachra iustificationis legis. Pharisei, hoc est separati, qui exactissimam uitam degerunt, & longe alijs integriores. Apud quos etiam mortuorum resurrectio, uelut etiam apud scribas, & de angelis ac spiritu sancto, quod sit, assensus. Vita item diuersa. Continentia usque ad tempus, & uirginitas, ieiuniumque bis per sabbatum. Urcorum & patinarum ac poculorum purificationes, uelut etiam apud scribas. Decimationes & primitiae, & assiduae preces, & habitus superstitiosus indumentorum, per amica & dalmaticas atque pallia, & per latitudines phylacteriorum, hoc est signorum & notarum purpura, & fimbriarum ac praetextuum in alijs palliorum: quae sane signa fuerunt continentiae apud ipsos ad tempus. Idem etiam generationem ac natiuitates introduxerunt, & fatum. Sadducei, hoc est iustissimi, qui ex genere quidem erant Samaritarum, simulque sacerdotis Sadduc nomine. Mortuorum autem resurrectionem negabant, & non admittebant Angelum, neque Spiritum, per omnia uero Iudaei erant. Hemerobaptista, hi per omnia quidem Iudaei erant: dicebant autem neminem assequi uitam aeternam, nisi quis quotidie baptizaretur. Osseni, quos impudentissimos interpreteris. Hi omnia secundum legem perficiebant. Utebantur autem & scripturis alijs post legem. plerisque uero ex posterioribus prophetis reiciebant. Nasarai, quos interpretari possis dissipatores, aut rebellatores: omnem carnis esum interdiciunt, animatis penitus non fruuntur: usque ad Moysen & Iesum Naue, sanctis in quinque libris Moysi nomine patriarchis utentes, eisque credentes, Abraham inquam, Isaac & Jacob & superioribus, ipsoque Moysi & Aaron, & Iesu. Uerum ipsorum quinque librorum Moysi in scripto scripta, docent non esse Moysi, sed alia praeter ea se habere affirmant. Herodiani: hi per omnia quidem Iudaei erant, Herodem uero Christum sperabant, & huic tum honorem, tum nomen Christi attribuebant. Hic est primus tomus, continens contra omnes has uiginti haereses. In ipso uero habetur etiam de Christi aduentu tractatio, & ueritatis confessio.

S. CYPRI  
S. EPI  
OPE